DE BAPTISMI SACRAMENTO DISPVTATIO.

IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI, ANNO M.D.LXXIV. DIE XX.
Aprilis Publice habita.

PRÆSIDE

R. P. IVLIO PRISCIANENSI, SOCIETATIS IESV, SS. THEOLOGIÆ DOctore, & Professore ordinario.

RESPONDENTE

M. IOANNE BAPTISTA COLLICOLA BAVARO, CANONICO MVNSTERiensi & SS. Theologiæ Studioso.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Ioan 3.



Ingolstadij ex officina Vueissenborniana, Anno 1574.

Omnia monstra inter Leo ceu nihil arduus horret:
BOIA Philistæis nil ita cincta Domus.

IVSTVS QVASI LEO CONFIDENS. PROV. XXVIII.



SICVT LILIVM INTER SPINAS. CANT. II.

Alba nitent rigidas inter ceu lilia spinas
Sic BOII antiqua relligione DVCES.

SERENISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. ALBERTO, Comiti Palatino Rheni, vtriusq; Bauariæ Duci &c. Mœcenati optimo.

PRIMVM hunc meum, Princeps Clementissime, in Theologicis fructum, quantum me rei tenuitas, ac C. T. splendor, ne sub tanti viri nomine ederem deterrebat, tantum optimi Principis in Catholicam Religionem, sacrasq; scientias studium, atq; in eos, qui in illis versantur, humanitas, ad idem inuitauit. Huc accedit, quod non officij, ac debiti dumtaxat gratia, C. T. persoluenda hæc sunt, quod mihi cum multis scio esse commune, sed singulari quadam ratione non alium res hæc Patronum, quam tantum postulabat, vt quidquid ob immaturam adhuc ætatem, ingenij imbecillitatem quotidianasq; ac necessarias occupationes hîc desideretur, id totum C. T. vmbra, gratia, patrocinio ac benignitate compensetur. Nihil enim dubito quin eo in me optimos quosq;, ac sapientissimos æquiores sim iudices experturus, quo illi in C. T. fuerint obseruantiores, ac me meaq; omnia Principi auitæ retinendæ ac propagandæ Religionis studiosissimo ab initio dicasse me, habuerint exploratum, aliquid in rem Bauaricam aliquando præstiturum, si his cœptis atq; animo C. T. aura felix adspirarit. Vale Sereniss. atq; Illustriss. Princeps, Iustitiæ ac Religionis defensor singularis. Ingolstadij, die XIX. April. Anno M. D. LXXIV.

Ser. Celss. T.

Addictiss.

Ioannes Baptista Collicola Bauarus.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Assertio I.

L. 4. cont. Iul. c. 4.

BAptiſmi nomen etſi ex Græco deſumptum ſcribit *Auguſtinus, eo tamen apud Græcos, præter Apoſtolos, atq; Eccleſiaſticos ſcriptores, uix quisquam fuiſſe uſus reperitur; neq; apud Veteres Hebræorum Canonis ſcripturas ex duorum & ſeptuaginta interpretatione uſquam extat.*

II. *Ita ſit, ut Apoſtoli primum hanc uocem uideantur fabricaſſe, qua etſi ablutionem quamcunq; ſignificari quidam affirmarunt, ea tamen Latina conſuetudo non niſi in Sacramento regenerationis utitur, ut contra Iulianum eam quaſi faſtidientem ibidem ſcripſit Auguſtinus.*

Eph. 5. Tit. 3. Heb. 6. 10. Ro. 6. Col. 2. 1. Pet. 3. Dion. Eccl. Hier. c. 2. Clem. Alex. l. 1. Pæd. c. 6. Baſ. conc. exhor. bap. Nazian orat. in 5. Bap. Cyr. Hier. præfat. in Cat. Chryſ. hom. 25. in Io. & Ho: 25. ad Neoph. Aug. de util. pœn. c. 1. Et l. 1. de pecc. mer. c. 24.

III. *Ad hanc propriam huius Sacramenti appellationem, tam ſcriptura, quam ſancti Patres complura tum propria, tum translata nomina adiunxerunt, quibus & mirabiles baptiſmi effectus, atq; excellens uirtus, & diuinorum uirorum de illo ſenſa ante oculos noſtros poneremur*

IV. *Neq; quod aliter honoris gratia Sacramentum hoc S S. Patres cum ſcriptura nuncuparint, cuiq; proprium & ſemper in Eccleſia uſitatum uerbum omittere aut mutare licere, aut expedire putandum eſt, in Sacramento præſertim conferendo, quamuis aliud adhibeatur, clarius fortaſſe, & uulgarius, ſed re uilius & contemptibilius, quod Iuliano ſcribitur contigiſſe.*

Aug. ibid. l. 4. ſen. d. 3. 3. p. q. 66. a. 1.

V. *Rectè à Magiſtro, D. Thoma, principibusq; Scholaſticis definitur Baptiſmus, exterior corporis ablutio cum præſcripta uerborum forma, qui Apoſtolum uidentur imitati, baptiſmum appellantem lauacrum aquæ in uerbo uitæ, nihil ut ad perfectam eiusmodi rei definitionem conſtituendam deſideretur.*

Epheſ. 5.

Tit. 3. de Eccl. Hier. c. 2. Aug. ep. 23.

VI. *Quæ uero aut ab Apoſtolo, aut à Dionyſio alijsq; patribus, aliæ baptiſmi aliquando allatæ ſunt explicationes, ut lauacrum regenerationis, Principium Sanctiſſimorum mandatorum ſacræ actionis, Sacramentum fidei, non tam eius Sacramenti naturam quam proprietates quasdam declarant.*

VII. *Sacra-*

VII. *Sacramentum hoc quo potißimum tempore Christus instituerit, non satis ex diuinis litteris apparet. Id quidem cum illis sanctisq; Patribus maximè consentaneum est, ante paßionem baptismi à Christo conditum Sacramentum, ea ut de re absq; insigni non solum temeritate, sed & religionis periculo non liceat dubitare.*

Ioan. 3. 4. 15. Aug. tract. 5, 13. 56. & 80. in Ioan. ep. 108. lib. 83. quæst. q. 62. & l. 4. de orig. ani. c. 9. Cyr. Al. l. 2. in Io. c. 57. & 76.

VIII. *Probabile uero maxime est, & principum Theologorum ac Patrum iudicio roboratum, tunc primum baptismum Christi initium & perfectionem accepisse, cum & ipse Christus à Ioanne baptizatus est, ut baptismus ex eo tempore ab Apostolis, Christi iussu administratus, ille idem fuerit, quo & nos in præsenti baptizamur.*

Ext. de bap. c. maior. d. 19. c. secundum de consec. d. 4. c. aliud Con. Trid. sess. 7. can. 2. de baptismo. Athan. q. 138. ad Antioch. Damasc. l. 4. c. 10. Chrys. hom. 4. in Matt. in opere imperfecto, Cypr. ser. 1. de bapt. Christi Beda in Luc. 3. Mag. in 4. s. d. 3. D. Thom. 3. p. q. 65. art. 2. Aug. l. 83. quæst. q. 62.

IX. *Eius Christi baptismi effectus idem cum nostro erat, & si forte non ita opulente, ac post resurrectionem, ut qui inter illos, qui Ioan. 3. & 4. à Christo Apostolorum ministerio leguntur baptizati, nulli iterum postea baptizari nec iuberentur, nec deberent, in quo à baptizatis à Ioanne potißimum discrepabant.*

X. *Verba & forma, quibus ille Christi baptismus consecraretur, etsi nulla exprimuntur scriptura, quantum tamen assequi licet coniectura, non ea fuerunt, quibus Ecclesia utitur, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, sed in nomine Christi, quo modo in Actis Apostoli dicuntur baptizasse.*

Act. 2. 8. 19.

XI. *Huius nostri & Christi baptismi materia & elementum aqua est ad abluendum apta, quæcunq; illa sit, atq; aquæ speciem conseruet & naturam, communi mortalium loquendi consuetudine aqua nuncupata, aut licet non uocetur, mediocri tamen ratiocinatione, eam esse aquam satis constat.*

XII. *Ita ros, pruina, grando, nix, gelu in liquorem soluta ad baptizandum apta sunt, sicut & lixiuium, aliæq; corporis alicuius qualitate affectæ aquæ, ut sulphureæ, ac balneares, maritimæ, ac palustres, ex una eademq; caussa, omnes procreatæ.*

XIII. *Ab arte autem ex herbis, aut alijs corporibus expressæ aquæ, quoniam ueræ aquæ naturam non habent, ad baptismi celebrandum Sacramentum admitti non possunt: neq; aquæ simpliciter ex hominum consuetudine dicuntur, sed ex additione, rosacea nimirum aut graminea, ab ipsis rosis & gramine dumtaxat figura distinctæ.*

XIV. *Hæc non ita dicimus, quasi de proximo puteo, balneo, aut palude ad baptismum aqua semper haurienda sit, qua libertate, fabrorum more, quasi in Vulcani officina, delectantur Neochristiani multi,*

sed, quia baptismus necessitatis Sacramentum est, ut in ijs omnibus aquis periclitanti infanti uitam æternam donari posse intelligamus,

Io. 3. Eph. 5. Heb. 10. Act. 8. & 10. 1. Pet. 3. 1. Ioh. 5. Ioh. 3.

XV. *Elementum hoc aquæ, baptismi esse materiam etsi diuina scriptura atq; orbis Christiani consensus semper docuit, non defuere tamen, qui aut ignem illam putarent, aut sanguinem, aut certe locum illum, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad baptismum minime dicerent pertinere.*

Tit. 3. Eph. 5.

XVI. *Digni perfecto qui igne & sanguine baptizentur, ac nunquam regenerati, in regnum cœlorum nunquam ingrediantur, quorum tertij præter insaniam bene & gnauiter impudentes, quotquot ita Christi uerba intellexerunt, id est, Græcos omnes ac Latinos Patres, & quoscunq; fideles, ac Paulum ipsum falli existimarunt.*

Matth. ult. Extra. de bap. c. si quis c. de quibus c. debitum. De confe. d. 4. c. Retulerunt. Conc. Flor. an. fin

XVII. *Forma uero & uerba, quibus salutaris hic baptismus perficitur & consecratur hæc sunt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, singula, excepto primo, nõ ad Ecclesiasticum solum præceptum, sed ad Sacramenti rationem prorsus necessaria.*

XVIII. *Græci hanc formam, uerbis non nihil mutatis, hoc modo efferunt, Baptizetur manibus meis N. seruus Christi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: cui quamuis idem cum nostra subsit sensus, ea tamen Latini Sacerdotes uti non possunt, superiori iussi baptizare.*

Con. Flor. ibid.

Dion. de Eccl. Hier. c. 1. 2. 7. Basil. de Spir. sanct. c. 12. Nicep. l. 16. c. 35. Act. 2. 8. 19.

XIX. *His uerbis baptismum consecrari, ex sacra & antiqua potius habemus traditione, quam ex ulla scriptura: dum non solum ita Patres cernimus locutos, sed & Apostolos post illa Christi uerba, alijs legimus uerbis baptismi Sacramentum perfecisse, ut nisi de eo nos Ecclesia moneret, scriptura certe aperte nulla id loquatur.*

XX. *Impie profecto & ut Antichristi anteambulones decet obganniunt quidam, Christum non collocasse fundamentum baptismi super certis syllabis, dictionibus, nec alligasse nos ad certa uerba, neq; instituisse magiam, quæ ad certum uerborum formam aut ritus alligata est.*

Gal. 5. Deut. 4. & 12. Leuit. 10. 1. Cor. 11. & 14.

XXI. *Nihil hoc est aliud quam libertatem á se tantopere prædicatam in occasionem carnis dare, ut prædixit Apostolus, atq; impudentissime Deo magiæ calumniam intendere, certa sæpissime uerba & ritus in suo cultu præscribenti, nec non id moliri, quod consecuti sunt, nullus ut tandem Christi baptismus conficiatur.*

XXII. *Præscripta uero forma, etsi ex Ecclesiastica regula perturbanda non est, si tamen eius alijs ex uerbis sensus manet, baptismi ratio conseruatur: ad quam tria omnino necesse est enunciare, actum baptizandi, personam baptizatam, & SS. Trinitatis inuocationem.*

XXIII. In qua mutatio uel minima sæpè tollit Sacramentum, ut si ante inuocationem omittatur, in, aut inter diuinas personas, Et, aut nominibus dicatur, non Nomine. Eodem modo forte si uirtute, pro nomine pronuncietur, ut cum eiusmodi baptizato Alexandri tertij Decretum seruari tuto posit.

Vigilius primus, ep. 1. cap. 2. Ambros. l. 2. de Sacr. c. 7. Hiero. in Eph. 4. Extra de bap. c. de quibus dubi.

XXIV. Additamenta, quæ falsi aliquid diuinarum personarum nominibus appingunt, ueritatem tollunt Sacramenti, ut Arianos in nomine Patris & Filij creati baptizare solitos Hieronymus testatur. Quod si quæ addantur proprietates, sunt tantum quædam personales Sacramenti integritati nihil nocent: idem de personarum diuinarum traiectis nominibus intelligatur.

In dial, contr. Lucifer.

XXV. Syllabarum errorem, in fine præsertim, etiam in diuinis efferendis personis non obesse, baptismus ille ante DCCC. annos in Bauaria datus, in nomine Patria & Filia & Spiritus sancti, ut Burchardus refert, uel sancta, ut Iuo, uel Spiritua sancta, ut Gratianus, à beato Zacharia Papa in Epistola quadam ad sanctum Bonifacium Germaniæ Apostolum comprobatus declarat.

l. 4. c. 44. p. 1. decr c. 237, de conf. d. 4. c. retulerunt.

XXVI. De sacris his diuinarum personarum nominibus, si uel unum taceatur, quamuis mente concipiatur, baptismus est nullus: sic si in nomine Trinitatis quispiam baptizetur, aut in nomine genitoris, geniti & ab utroq; procedentis, aut quod firmioribus nititur fundamentis, in nomine Christi: in antiquis enim terminis, quos Patres nostri posuerunt, stare tutissimum est.

Athan. ser. 3. cont. Arium. Amb. de myst. c. 4. Bas. de Spirit. c. 12. Cyp. ep. ad Iuba, Aug. l. 6. con. Donat. c. 25. & de fide ad Petr c. 27. & cont. Ful. Don. c. 3, de conf. d. 4. c. in synodo. Prouerb. 22.

XXVII. Sancti Pelagij Papæ ante D. Gregorium ad Episcopum Gaudentium Epistola de Petri Cathedra dicta id satis docet apud Iuonem plene recitata, quæ in duos diuisa Canones apud Gratianum, Christi, in, Domini, mutato nomine, pontificis sententiam reddit obscuriorem: ut communis antiquorum Theologorum sententia plane uera sit.

p. 1. c. 161, De Conf. d. 4. c. si reuera c. multi. Alb. mag. D. Bonau. & Durand. in 4. Alex. Al. 4. p. q. 13 m 3. a. 2. D Th. 3. p. q. 66. a. 6.

XXVIII. In quacunq; igitur lingua baptismus conferatur, à germano superius allatæ formæ sensu discedendum non est, ut multi aut Heretici sint damnati, aut uere iterùm iussi baptizari, quod in eo grauiter peccatum sit, ut de Colorbosijs, Cathaphrygis, Paulianistis, Eunomio, Marco, Deuterio sacri nos Patres atq; Historici docuerunt.

Epiph. cont. hær. 35. Philast. in cat. Hær. Innocent. Epist. 22. c. 5. Greg. l. 9. reg. c. 61. Nyceph. l. 12. c. 11. Euseb. l. 4. c. 31. Epipha. cont. Hær. 34. Nycep. l. 16. c. 35.

XXIX. Apud omnes non Catholicos modo, uerum etiam Hæreticos, constitutum semper fuit, baptismum & regenerationem hanc non nisi semel in uita suscipiendam, quam legem etsi olim Donatistæ cum Catholicis ad se deficientibus infringerent, ut & nostro seculo Anabaptistæ, id tamen

Ephe. 4. Heb. 6. & 10. August. de Hær. 69.

id tamen ex eo est errore, quod baptismum uel paruulis, uel extra suam synagogam, quam Ecclesiam censent, datum nullum putent.

Contra Hær. 42 in Eph. 4. vnum bapt.

XXX. *Vnum Marcionem ter dixisse licere baptizari, Valentinum uero bis, Epiphanius testatur, & Hieronymus. In ea uero falsa Donatistarum opinione ante illos, Catholicos quosdam olim hæsisse, ex Augustini contra Donatistas scriptis libris satis elucet: qui tamen errore nondum damnato, nec plene ueritate eliquata, in Hæreticis numerandi nequaquam sunt.*

Con. Carth. 5. c. 11. dist. 50. c. confir. de conf. d. 4. c. eos quos Extra de apostatis c. ex literarum C. Ne sanctum bapt. l. Antistitē l. si quis.

XXXI. *Rebaptizare uerò aut rebaptizari sacrilegium est summum, & Canonicis & Imperatorijs legibus plectendum. Atq; in Clerum quidem huiusmodi homines allegere ex eo factos irregulares nullo modo licet, si sciemer id contigerit, secus autem si nulla planè culpa & ignoramer.*

XXXII. *Et sicut infantes domi baptizatos iterum sollemni ritu baptizare contra legem omnem diuinam atq; humanam est, ita quoscunq; ad baptismum oblatos sub conditione baptizare, imprudentis est hominis, & religionis specie in domesticos Anabaptismi notam inurentis, quæ formula non nisi cum baptismus ignoratur præcessisse, est adhibenda.*

Clem. l. 7. const. c. 23. Tert. de bapt. & de exhort. castitatis Hier. cont. Lucifer Aug. l. 1. cōt. Donat. c. 1. Epiph. cont. hær. 75. 30. q. 1. c. ad limina. c. super quibus. De cons. d. 4. c. in necess. c. Mulier c. a quodam & Romanus. Extra de cler. nō ordinat c. si quis

XXXIII. *Minister Sacramenti huius ordinarius Presbyter est & Parochus, ex Episcopi uero iussione etiam Diaconus, eodē quo Presbyter sollemni ritu & Chrismate tunc baptismum administraturus. In necessitate, quiuis, etiam mulier, aut infidelis, celebriore illo omisso ritu per Sacerdotem deinde, si tempus ferat, à capite explendo.*

XXXIV. *Necessitate uero sublata, eam Layco cæterisq; non ordinarijs ministris usurpare non licet potestatem, ex eo non solum grauiter peccaturis, sed & in irregularitatis pœnam illicò incursuris, atq; in Hæreticorum ueterum impudentiam, atq; errorem delapsuris.*

Burchard. l. 4. c. 58. Tert. de præscr. Hær. Epiph. cōt. Hær. 79. Math. vlt. Ioan. 3.

XXXV. *Vnum plures simul posse baptizare certum est, an uerò plures unum, dubium; quod tamen, nisi forte intentio aliunde uitietur, ualere posse putamus. Ministrum quoq; ab eo qui baptizatur alium esse oportere, regenerationis ratio docet, ut in eo, qui seipsum baptizet, nullum plane insit Sacramentum.*

Extra de bap. c. debitum. Clem. l. 3. con. c. 16. Dion. de Eccl. c. 2. & 7. Tert. de bap. Aug. ep. 23. Ios. Epiph. discip. in vita Epiphan. j.

XXXVI. *Ad sacrum baptismi ministerium susceptores etiam adhiberi solitos non cum infantibus solum, sed & cum natu grandibus, ipsisq; orbis terræ Regibus, tota satis Græca & Latina fatetur Antiquitas, ex qua susceptione Spiritualis oritur affinitas, quæ matrimonium impediat contrahendum & dirimat contractum, inter susceptorem*

& susceptri-

& susceptricem & susceptum, & illius patrem ac matrem, nec non interbaptizantem ac baptizatum, baptizatiq; patrem ac matrem.

30. q. 1. per totum c. Extra Ecum 6. de cognat. Spirit.

XXXVII. Cognatio hæc ante Concilium Tridentinum latius patebat, quæ ubi nondum illud est promulgatum adhuc durat, ut inter Presbyterorum seu Concubinariorum spurcißimorum hominum filios, atq; alios ab illis baptizatos matrimonia esse poßint nulla, sed impuræ scortationes atq; incestus.

Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. Extra de cog. Spir. c. super eo. c. tua nos c. ex litteris.

XXXVIII. Propter hanc affinitatem neq; Monachis ad baptismum tenere licet, neq; pluribus quam ad summum duobus, neq; coniugibus inter se. Maribus quoq; fœminas de sacro fonte suscipere licet quidem, non tamen decet, ut nos Apostolicam constitutionem secuti Nycæni patres admonuerunt.

16. q. 1. c. placuit 18. q. 2. c. peruē. de consecr. d. 4. cap. non licet c. Monachi. & c. non plures. Conc. Trid. vbi supra Clem. l. 3. cōstit. apol. c. 16. Can. 8. vel 22. & 72. in Arab.

XXXIX. Hunc Patrinorum usum & affinitatem etsi Apostolica & ex sacris litteris esse obseruauit Origenes, si tamen illi in neceßitate absint, aut iustis de caußis abesse expedire iudicentur, regenerationis lauacrum ritè & utiliter alteri potest exhiberi.

Rom. 16. cognati in Ep. ad Rom. ad finem.

XL. Huius Sacramenti Baptismi neceßitas tanta est, quantam suo ore nobis Christus explicauit dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quæ sententia adeo uera semper & ubiq; in omnibus fuit, ut sine baptismo post Euangelium promulgatum nemini cuiquam salus ordinarie præstari unquam potuerit.

Epiph. contra Hær. 30. Ioan. 3.

XLI. Baptismi tamen aquæ, qui proprie baptismus dicitur, quando is haberi nequit, uicem gerit in adulto ardens eius desiderium, baptismus flaminis, aut gloriosa pro ueritate mors & martyrium, baptismus sanguinis à multis appellatus, qui & in paruulis locum habet, ut extra triplicem hunc baptismum, cuius secundi paruuli participes esse non possunt, qui ex hac uita discedat, cœlorum regnum ingressurus sit nunquam.

Luc. 3. & 12. Mar. 10. Apo 1. 7. 22. Athan. q. 133. ad Antioch. Nazi. or. in Bapt. Aug l. 13. de ciui. c. 7. & l. 4. cont. Donat. c. 22. 23 q. 84. in Leuit. de ti. ad Petr. c. 3. & 30. Ambr. in Psal 118. ser. 3. & de obitu Valent.

XLII. Tertius est illorum honestißimus & in conspectu Domini pretiosißimus: Secundus uero non ad solam peccatorum, sed & ad pœnarum omnium, non secus atq; primus, ualet remißionem, hæc tunc operaturus, cum baptismi mysterium non contemptus religionis, sed articulus neceßitatis excludit, quo sublato, Cornelij exemplo, necessario est ille postea perficiendus.

Ioan. 15. Apo. 22 Cypr. in præf. lib de exhort. mart. Athan. vbi sup. Ambr. in ob. Val l. 5 ep. post ep. 33 Aug. l. 4. cont. Don. c. 22.

XLIII. BPelagianam hæresin ab Augustino potenter expugnatam ab orco reuocarunt multi nostrorum temporum Nouatores, paruulis, de fidelibus saltem natis parentibus absq; baptismo salutem promittentes, eosq; à peccato originali esse immunes asserentes.

Aug. in Psal. 108 Aug. q. 84. in Leuit. In l. de pecc. mer. & cont. 2. ep. Pelag. & cont Iul. & de anima & eius orig.

XLIV. *Vt enim Augustini uerbis utamur. Nemo nos fallat, scriptura euidens est, auctoritas fundatissima est, fides Catholicissima est, Omnis generatus damnatus, nemo liberatus nisi regeneratus: & contra uesanam quandam misericordiam sanctarum scripturarum auctoritati colla subdenda sunt, ut ad intellectum per fidem quisq; perueniat.*

Aug. l. 1. de pecc. mer, c. 21.

XLV. *Ridiculum quoq; illud est, quod quibusdam tamen non uidetur absurdum, baptizatum in aluo censendum infantem, si matris uterus aqua perfundatur: sicut & aliud quorundam commentum est, eius modi infanti salutem posse conferri, si nescio qua crucesignatione mater consignetur, uel etiam egressus infans cum aquae copia nulla haberi potest.*

Conc. Neoc. c. 6. de cons. d. 4. c. si qua. Aug. ep. 57. & l. 5. cont. Iul. c. 5. & 6. Aug. ep. 28. & saepi. sume.

XLVI. *Talium sine baptismo in infantia morientium ea est, ut bene scripsit Nazianzenus, damnatio, ut nec coelesti gloria, nec supplicijs à Deo afficiantur, quia hanc iacturam passi sunt potius quam fecerunt: quam poenam antiqui Theologi, Alberto Magno teste, damni recte nuncuparunt*

Orat. in s. bap.

In 4. d. 4. ar. 8.

XLVII. *Et quamuis baptismi suscipiendi praeceptum post Euangelium promulgatum quemq; cogat ad baptismum, ex eo si illum negligat, grauiter peccaturum & damnandum, ubi tamen Euangelij lux nondum affulsit, ex eo uastissimas illas regiones damnatum iri non putamus, sed propter alia multa quibus obligati sunt, crimina, ut à Christi passione sine aliquo baptismo in coelum ingressus sit nullus.*

XLVIII. *Vbi uero cuiusq; aures Euangelicis uocibus personuerunt, baptismus aut in uitae finem, aut in longum nequaquam est differendus; quod cum Apostolica facta docent, tum suo nobis exemplo Constantinus Magnus à Sylvestro baptizatus confirmauit: Fabula enim est & mendacium Graeculorum uitio apud multos diuulgatum, Constantinum in extrema uita Nicomediae, Iordanis aquis perfundi cupientem, baptizatum.*

Acto. 2. 8. 10. 16 Constant. edict. Damas. in vita S. Syluestri pp. Nyceph. l. 8. c. 3 Hincmarus in vita S. Remigij.

XLIX. *Hanc baptismi prolationem etsi Ecclesia semper odit, ut in uitae fine, aut aegritudine baptizatos uoluerit esse irregulares, praecipitem quoq; in eo exhibendo festinationem amauit nunquam, animi praeparatione, diuturna instructione praescripta, qua & cum recta fide, & cum uera ueteris uitae poenitentia ac mutatione ad tantum accederent homines Sacramentum.*

Clem. ep. 4. Conc. Neoc. c. 12 Euseb. l. 5. hist. eccl. c. 33. Burc. l. 4 c. 33. Clem ep. 3. Siricius ep. 1. c. 2. Hieron. cont. Io. Hierosol. Conc. Agath. c. 34. Conc. 4. Carthag. c. 85.

L. *Quamuis enim sine his sola baptismi uoluntate Sacramentum suscipiatur, quod & in malis esse potest sicut in bonis ab Augustino & Theologis character appellatus, eius tamen fructus & à peccatis ablutio non donantur, quorum habenda magna ratio est, ut etiam baptismum*

Aug. cont. Petilian. & Donat. saepissime Extra de bap. c. maiores.

mum petentibus, in pristinis tamen fornicationis, odij, aut rapinæ sordibus perseuerantibus sit ille negandus.

Aug de fide & operibus ad long

L I. *Confessio uero aut satisfactiones pro commissis sceleribus (nisi fortè uiolata iusticia redintegranda sit) ad hæc necessaria non sunt, multum tamen si illa adsint profutura, à Patribus proposita, atq; apud Veteres Christianos usitata.*

Concil Trid sess. 14. cap. 2. Naz. or. in s. bap. Cyr. Hier. cat. 3. Tertull. l. de bap. & de pœnit.

L II. *Ad baptismum sicut & ad quodcunq; Sacramentum in adultis necessaria aliqua intentio est, uirtualis saltem, à quibusdam ueteribus Theologis habitualis appellata, quæ si absit, nullum planè consequitur Sacramentum; in paruulis uero interpretatiuam satis esse Ecclesiæ semper iudicio confirmatum est.*

c. maiores. D. Th. 3. p. q. 64. art. 1. ad 3. Aug. ep. 23, & sæpissime.

L III. *Dormientes atq; amentes ritè & utiliter baptizantur, si uel ante somnum atq; amentiam baptismum expetijsse, uel rationis nunquam compotes fuisse dignoscuntur: qui uero rationis usu libero dormiens ac neutraliter se habens, ut quidam inquit, baptizatur, nihil capit, neq; enim intentio, ut ille putat, ad obicem tantum requiritur amouendum.*

Aug. l. 4. confess. c. 4. c. maiores.

L IV. *Fides autem recta si absit, Sacramenti ratio constare potest. Constat enim in quacunq; hæresi baptizatos in Nomine Patris & Filij & Spiritus sancti ad Ecclesiam uenientes minimè esse baptizandos, sed aut Chrismatis unctione, aut manuum impositione, aut sola fidei professione, ex antiqua Patrum traditione admittendos.*

De cons. d. 44. c. ab antiqua. Greg. l. 9. registri ep. 61. Aug. l. 3. cont. Donat. c. 16.

L V. *Coacti quoq; simpliciter quod intentione careant, Sacramentum suscipiunt nullum; qui uero minis & terroribus quorundam Principum zelo, sed non secundum scientiam ad baptismum coacti leguntur, ij & si nollent, quia tamen uoluerunt baptismi charactere insigniri, Christianæ sunt subiecti religioni.*

c. maiores. Conc. Tolet. 4. c. 56 dist. 45 c. de Iudæis.

L VI. *Hæc de adultis. In paruulis enim diuersa nonnihil ratio est, quos salubriter in Ecclesiæ fide & intentione proprio fidei donatos habitu baptizari Ecclesia semper omnis docuit, etsi qua id fiat scriptura, non est compertum, sed profectò ea, qua & Ecclesiam errare nunquam posse didicimus.*

Matt. 18. & ult. Ioan. 14. 15. 17.

L VII. *Anabaptistæ tamen, Ecclesiæ omnis auctoritate reiecta, paruulos nolunt baptizari, quorum uesanas mentes permouit plurimum atq; adiuuit secum nata Euangelicorum plenis buccis effusa doctrina, non baptismi Sacramento, sed fide quemq; iustificari, ut ipsorũ quintus Euangelista in Saxonica sua Visitatione (ô præclarum custodem ouium, quem aium, lupum) præstare scripserit prorsus omittere baptismum in paruulis, quam baptizare sine fide.*

LVIII. *Iure igitur Anabaptistici gregis caput Pacimontanus secũ dixit semtre Lutherum, quod & Lutherani quidam auctori suo obiecerunt, ut non nos soli dicamus Lutherum ouum infeliciter peperisse, cui Anabaptistæ infelicius incubantes hos illi pullos procrearunt.*

LIX. *Quod igitur olim dicebatur, Asoti fieri qui uolunt, Epicurei antea fiant, idem hodie licet usurpare, Anabaptistæ fieri qui uolunt, Lutherani ante fiant: ad eos quippe greges non nisi mysteriis initiatos Lutheranis paucissimos uidemus declinare.*

LX. *Eius deinde quod excitarant incendii magnitudine commoti, mirabiles sine ullo patrono sententias in medium afferunt, Paruulos, dum baptizantur, propria fide actu credere: At hoc non est incendium excitatum sopire, sed ubi ante nullum fuerat, nouum & maius excitare: quis enim unquam sibi persuadeat, paruulos ut iumenta factos actu credere?*

LXI. *Paruulos autẽ siue pusillos qui in Christũ credunt nihil hi sibi* Matth. 18. *putent patrocinari, cum quadragenarii, illi interdũ sint & sexagenarii de quibus tanto scripturarũ molimine probare quod credant, nihil erat opus laborare: Ita.n. actualis hæc fides tã male sonat, ut nõ Anabaptistis modo, sed uel mediocriter philosophanti asinus ad lyram accessisse uideatur.*

LXII. *Intolerabilius uero est quod nonnulli Lutherani stulticiæ* l. 4. cont. Don. c. 24. 25. l. 1. de pecc. mer. c 19. ep. 23. ep. 57. & in ench. c. 96. *huius Augustinum sibi blandiantur habere defensorem, à qua adeo ille abhorruit, ut contra eam multa scripserit atq; asininos eiusmodi homines existimarit: in quas illi salebras nunquam incidissent, nisi quod semel malè cæperunt, fouere ac mordicus retinere quoquo modo haberent constitutum.*

LXIII. *Hæc uidelicet est correctio Theologiæ ueteris & emendatio, hæc noua de cœlo delapsa Theologia, hi plumbei ac papyracei pugiones, quibus illi Augustinum dicentem, Credit in altero qui peccauit in altero, quibus Iustinum martyrem totamq; ueterem Ecclesiam se putant confodisse.*

LXIV. *Theologastri quoq; cuiusdam impium sanè consilium de* Gal. 3. Heb. 10. *Christianorum est finibus exterminandum, omnem à fundamentis euertens religionem, paruulos huiusmodi baptizatos cum adoleuerint interrogandos esse, ratum habere ne uelint quod ipsorum nomine Patrini spoponderunt, suæq; libertati ac iudicio relinquendos.*

LXV. *Ecclesiastica decreta extant, quibus Christiani parentes* Conc. Tol. 3. c. 14 & Tol. 4. c. 2. Extra de conuer. infidel. c. ex litter. *infantes suos cogantur, si nolint, baptizare, atq; etiam ab iis eripiantur: quod cum infidelibus atq; Ecclesiæ iurisdictioni non subiectis nequaquam licet, nisi fortè cum seruorũ filiis. Si tamen illi ipsorum parentibus inuitis baptizentur, & Sacramentum & rem Sacramenti consequuntur.*

LXVI. *Baptis-*

LXVI. *Baptismi effectus est purgare ab omnibus omnino peccatis quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas, uno ut lauacro malitia omnis aboleatur, ut post baptismum dicere remanens esse peccatum, Paulum sit & Christum simul conculcare, ut Lutheri blasphemiam inuertamus.*

Aug. l. 1. retract. c. 7. Cypr. l. 4. ep 7. Aug. tract. 17. in Ioan. Hieron. l. 1. cont. Iouin.

LXVII. *Falsum atq; hominis cor non habentis illud est, concupiscentiam quæ in baptizatis manet, uerè & propriè esse peccatum, ex quo factum est, ut Lutherani complures rigidi peccatum originale substantiam esse dixerint, hominem cum Manichæis paullatim uitium ac peccatum esse asserentes.*

LXVIII. *Neq; infinita propemodum ex Patribus coaceruata dicta ad institutum quicquam faciunt, sed ad hominis miseriam atq; imbecillitatem, quam nemo negat, deplorandam, iure ut dicatur, Amphora cœpit Institui, currente rota cur urceus exit? &, Sed nunc non erat hic locus.*

LXIX. *Tenebricose hic cum suo Luthero & quidem ter paucis uerbis impingit Melanthon, & Paulum dicere, concupiscentiam nesciebam esse peccatum, & Augustinum scribere, Peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur, & hanc Augustini sententiam adeo superioribus placuisse, ut & recitata sit in Decretis.*

Rom. 7. l. 1. de pecc. mer. c. 19. de conf. d. 4. Per baptis.

LXX. *Recentiores aiunt, concupiscentiam nesciebam, scilicet, esse peccatum: At hoc non est Paulinæ scripturæ, sed Lutherani glossematis afferre testimonium, ut qui ita ex Paulo argumentetur, debuerit cum illo in secundum saltem cœlum penetrare, atq; ibi per rimam, quæ non licet homini loqui, arcana audire.*

LXXI. *Non igitur concupiscentia in baptizato manens, quæ potentia quædam est, peccatum est, sed ipse concupiscendi actus, illa nonnunquam appellata peccatum, quod & ad peccatum inclinet, & peccati caussa & fomes existat, ut sæpissimè cum Ecclesia explicauit Augustinus.*

LXXII. *Messaliani in hoc dogmate uidentur Lutherani, qui Theodoreto teste, peccata in baptismo non tolli sed radi censuerunt, quam calumniam à Iuliano Catholicis intentam depellit Augustinus, quanquam Lutherani ne rasos quidem, ut illi, concedant capillos, sed antiquam cæsariem bene prolixam manere, & quadam solum non imputationis calantica uolunt obuolutam.*

l. 5. diuin. decret. cap. de bap. l. 2. cont. 2. ep. Pelag. c. 13. & l. 3. c. 3.

LXXIII. *Eadē Euangelica libertate loquitur Rabbi ipsorū nescio quis, Augustinum in quodam contra Iulianum loco, quæ alibi incommodius dixerat etiam in ipsis Retractionibus, retractasse: Id enim est affirmare,*

l. 5. c. 3. l. 2. c. 53.

mare, emendationem ante errorem extitisse. Addunt, politice & populariter de peccato locutum Augustinum, cum ipsi Theologum pi= ctum, ut dicitur, nunquam uiderint.

L X X I V. *Acerbius est quod quidam blasphemo planè ore euomuerunt, non omnes qui baptizamur, ne infantes quidem, sed electos tantum & prædestinatos remissionem accipere peccatorum, quamuis dicat Apostolus. Quicunq; baptizati estis, Christum induistis, &, a paruulo recenter nato usq; ad decrepitum senem nullum esse, qui non peccato moriatur in baptismo, scribat Augustinus.*

Gal. 3.
In Ench. c. 43.

L X X V. *Neq; hic solum insaniuit Vuicleffus, sed & in eo, baptismum omnia quidem peccata tollere etiam actualia commissionis quidem, non tamen omissionis: nihil ut pugnantius aut ab omni Theologia alienius dici queat, non contra Paulum solum, sed contra omnem humanam intelligentiam.*

L X X V I. *Et quoniam baptismus regeneratio est, & quidem perfecta, qualia opera Dei esse decet, non eo solum peccati omne genus abolетur, sed & pœnarum, quæ diuinam iustitiam post etiam factam culparum remissionem consequuntur.*

Ioan. 3. Tit. 3. Ro 6. Ambr. l. 1 de Sacr. c. 4. Aug l. 1 de pecc. mer. c. vlt. & de nat. & gratia c. 55. Maiora de bapt. c. debitum.

L X X V I I. *Aliæ pœnæ ad forum tam ciuile quam Ecclesiasticum pertinentes per baptismum minime tolluntur, sed ipsum adhuc premunt baptizatum, ut ante latro iure suspendi possit, & bigamus, aut spurius, aut sanguinarius, aut quacunq; alia ratione factus irregularis ad sacros non debeat ordines promoueri, cum quibus tamen per Summum Pontificem dispensari posse non est dubium.*

L X X V I I I. *Vetus fuit quæstio Hieronymi sæculo satis agitata, bigamus ne sit habendus atq; à sacris arcendus ordinibus, qui ante baptismum unam, post alteram duxerit uxorem. In quo Hieronymi sententiam amplexa Ecclesia non est, sed Augustini, quæ eiusmodi hominem pro bigamo habet, quem in clerum allegere nunquam liceat.*

Ep. ad Oceanum l. de bono coniugij. c. 18. d. 26. c. acutius c. vna tantum c. deinde. Innocent. 1. Ep. 2. c. 6.

L X X I X. *Quod etiam quidam opinantur, in baptismo eas tolli Ecclesiasticas pœnas, quæ cum peccato coniunctæ sunt, alias uero manere, ut lenonem baptizatum posse ordinari, capitalem uero iudicem nequaquam, probabilitatis habet planè nihil, præclarius ut cum infami aliquando homine quam cum honesto uiro agatur.*

L X X X. *Iustitia uero originali, gratiæ dono non naturæ, suo peccato parentes nostri cum tota sua posteritate priuati sunt; quæ priuatio, etsi peccatum originale consecuta est, eo tamen sublato adhuc manet, non tamen cum debito habendi eam, qui reatus in baptismo peremptus atq; absumptus est, ut loquitur Augustinus, carnis pugna ad agonem & coronam relicta.*

1. de pecc. mer. c. 28.

L X X X I. In

LXXXI. *In hoc sacro baptismo non solum nos regenerat Deus, sed in ipsa iustificatione & uita, uirtutum omne genus, Theologicas nimirum & morales, in baptizatorum animos infundit, quibus omnes animæ uires ad rectè sentiendum honestéq; agendum firmantur plurimum ac iuuantur.*

Rom.5, Gal.5. Cypr. l.2. ep.2. Hieron. in prol. Thre. Aug. l.1. retr. c. 13. Paulin. ep. 12. Extra c. maiores Clementina de summa Trinit. & fide c. 1.

LXXXII. *Neq; hæc recentiorum est doctrina dumtaxat Theologorum, sed apud optimos quosq; ac sapientißimos semper in Ecclesia recepta ex scripturarum ac Veterum Patrum monumentis deprompta, quamquam ante Generale Viennense Concilium non ita explicata ac nuper in Sacra Tridentina Synodo, ut res certa, constituta.*

Alb. Mag. d. 4. art. ult. Alex. Alen. 4. p. q. 21. D. Th. 3. p. q. 69 ar. 4. & 5. & 1. 2. q. 63. ar. 3. In Clem. vt sup. Sess. 6. c. 7.

LXXXIII. *Diuinam hanc gratiam & uirtutum pulcherrimum comitatum cum omnibus qui baptizantur, æqualem ibi communicat Deus, ut neq; ad ampliorem gloriam prædestinatus ex baptismo plus quam reprobus emolumenti consequatur. Ex uaria tamen animi præparatione, quin impar in diuersis gratia conferatur, nihil uetat.*

Eph. 4. 1. Cor. 10 Cypr. l. 3 ep. 8. & l. 4. ep. 7.

LXXXIV. *Cum alijs quibusdam Sacramentis id est baptismo commune, ut qui in ipsa susceptione propter animi fictionem diuina largitate donati non sunt, ea recedente fictione peccatorumq; præteritorum tàm ante, quam post baptismum commissorum allata pœnitentia idem illi beneficium consequantur.*

Aug. l. 1. cont. Don. c. 12. & l. 3. c. 13. & l. 5. c. 5. & l. 6. c. 5. De Cōse. d. 4. c. tunc valere

LXXXV. *Quæ tamen post baptismum patrata sunt crimina non ex illo fictionis receßu baptismi uirtute tolluntur, sed pœnitentiæ Sacramento atq; Ecclesiæ clauibus quibus baptizatus omnis subiectus est: Ad quas & fictionem illā cum baptismo coniunctam putamus pertinere. Pœnæ item peccata clauibus subiecta consequentes omnes non tolluntur.*

LXXXVI. *Ad tantum baptismi Sacramentum Ecclesia semper toto orbe diffusa ex Apostolica traditione sacros multos adhibuit ritus, in quibus non solū populus fidelis erudiretur, & moneretur arcanū aliquid & diuinum inesse, sed uerè qui baptizamur spiritalia quædam dona, non quidem diuinam gratiam acciperemus.*

Amb. l. 1. de Sacr. c. 1. Cyr. Hier. cat 6. & 2. & 3 myst. Aug. l. 10. de ciuit. c. 12. Optatus l. 4. cont. donat. Isidor. l. 2. de officiis.

LXXXVII. *Eiusmodi sunt exorcismi, exufflationes eaq; omnia quæ baptismū præcedunt, apertionis nomine ab Ambrosio comprehensa, atq; etiam post baptismum sacræ Chrismatis inunctiones, reliqua uero, ut uestis candida, ardens cereus & si quid est aliud uspiam sanctè usitatum significandi solum gratia instituta sunt.*

Amb. de myster. init. c. 7. Naz. or. in sanct. bap.

LXXXVIII. *Hæc uociferandi & maledictis proscindendi ansam Euangelicis nostris non præberent, si quomodo de ijs omnibus, quibus in baptismo celebrando Catholici utuntur, ritibus, SS. Patres neq; sine scripturis locuti sunt, audire uellent, non tàm quid illi super hoc*

Chrys. hom. 4. 2 in 1. Cor. 15. & homil. 2. de Adam

senserint ac fecerint, quam quidquid ipsi ad libidinem sustulerint ac mutarint probaturi.

LXXXIX. *Neq; haec ex unius, aut alterius Patris scriptis deprompta sunt, ut quidam falsò & impudenter, ut solent, calumniantur, sed eorum quamplurimi uniuersalem hanc esse totius Ecclesiae consuetudinem attestantur: ut de eo quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae sit insaniae, ut olim dixit Augustinus.*

Ep.118. c. 5.

XC. *In eo sollemni Catechisandi ritu aequè patentem oriri cognationem Spiritualem, atq; in ipso baptismo, Canones complures profitentur: quae etsi, ut illa, matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum.*

Extr. de cog. Spir. c. contra. & in 6 c. per Catech.

XCI. *Exufflationibus sacrisq; his caeremonijs tantum tribuit Augustinus, ut ijs qui audeant contradicere, à toto illos orbe esse dicat exsufflandos: tantum abest ut ludibrij aut incantationis alicuius ulla subesse possit umbra.*

l. 6. cont. Iul. c. 2

XCII. *Horum rituū minister idem est qui & baptismi, & quamuis Exorcistae in ordinatione sua imponendi manum super energumenos tàm baptizatos quàm Catechumenos accipiant facultatem, non tamen Exorcismos in baptismo peragendi, quod Sacerdotis est proprium, ut ij qui energumeni & obsessi non sunt, ad Exorcistarum non spectent potestatem.*

De Conf. d. 4. c. Catech. c. sacerd. d. 25. c. perfectus. Conc. Carth. 4. c. 7 dist. 23. c. Exorcista Cypr. l. 4 ep. 7. Euseb. l. 6. c. 33.

XCIII. *Benedictio baptismalis aquae oleo admixto adeo semper in Catholicorum usu fuit, ut inter Archonticorum Haereses hanc D. Epiphanius referat, quod aquas oleo admixtas in sacro lauacro reijcerent, & D. Basilius de ea dicat, neminem ei posse contradicere, qui uel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium scientiam habeat.*

Cypr. l. 1. ep. 12. Aug. l. 6. cont. Dona. c. 25. Amb de myst. init. c. 2 Cyr. Hier. cat. 3. cont. Haeres. 40. de Spir. san. c. 27

XCIV. *Sui sunt Ecclesiasticorum mendaciorum Centuriatores dum S. Irenaeum affirmant inter Valentinianorum errores, quod baptismi aquae oleum admiscerent, numerare, cum non hoc reprehendat, sed eum prophanis quibusdam dictionibus sicut & baptismum id ipsos perfecisse; quin in olei infusione illos facere uti nos, ibidem scribit Irenaeus.*

l. 1. c. 18.

XCV. *Trina uero nec una omnino necessaria mersio est, sed aliquis solum aquae cum eo qui baptizatur contactus, quanquam in perfundendo à Catholicae suae Dioecesis usu nemo debet discrepare. In quo & illud necessarium est, ut alicubi saltem uerba cum tinctione coniungantur.*

Greg. l. 1. reg. c. 41. Con. Carth. 4. c. 5. de conf. d. 4. c. De trina. c. propter.

XCVI. *Olei deinde aut Chrismatis usus tàm post, quam ante baptismum non à Syluestro primum institutus est, ut summa cum inscitia uel*

tia uel potius malitia quidam hallucinantur: sed quod antea unius erat Episcopi, id Syluester cum Presbytero communicauit, ne quenquam de uita discedere sine sacri Chrismatis in uertice inunctione contingeret.

Damas. in vita Syluestri.

XCVII. *Quod uitæ discrimen quando adest, ut ante moriturus quispiam putetur, quam statæ sollemnesq; cæremoniæ compleantur prætermittendæ illæ sunt, uel certe potißimæ dumtaxat adhibendæ, ut exorcismi atq; abrenunciationes, & quam citißime periclitanti baptismo succurrendum, qui si superstes sit, à capite sunt illæ omnes ex Apostolico planè usu perficiendæ.*

Euseb. l. 6. c. 33. Nyceph. l. 6. c. 3 & lib. 8. c. 44. & l. 3. c. vlt. Ruffin. l. 10. Euf. c. 14. 1. q. 1. c. Spir. sanctus parag. Ecce.

XCVIII. *Duas à Sanctis Patribus in his ritibus præscriptas esse formulas inuenimus, altera est apud Augustinum, eos esse in cuiusq; Sacramenti administratione adhibendos, quibus ubiq; Ecclesia Catholica utitur, atq; ea, in qua uersaris, Diœcesis: altera est apud Ambrosium, Ecclesiæ Romanæ typum & formam in his omnibus sequi oportere, quod & in Braccarensi Concilio legimus definitum,*

Epist. 118. c. 2. l. 3. de sacr. c. 1.

XCIX. *Ex his apparet, impudentißimè facere nouos Euangelicos qui dum nos magiæ ac superstitionis accusant, tanta labe Patres omnes atq; Antiquitatem, quin & Apostolos Christumq; ipsum ac Deum ita & facientem ac præcipientem aspergunt, imperitiaeq; ac malitiæ se arguunt singularis, dum quod ab omnibus in omni ætate legunt obseruatum, tam hostiliter tollunt ac reprehendunt.*

Ioan. 9. Mar. 5. & 7. Ioan. 20. 1. Cor. 11.

C. *Rectius multò scripsit Augustinus, quod & ad inquietas pacandas mortalium cogitationes plurimum ualet, Hoc facimus, hoc à maioribus accepimus, hoc in Catholica Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, contra omnes falsitatis nebulas custodimus.*

lib. de vnico bap. cont. Petil. c. 9.

Te DEVS æthereo laudent in fonte RENATI,
Viuat & ætherea mente RENATA cohors.

APPEN-

APPENDIX I. EX TRIBVS GRÆCIS PATRIBVS, BASILIO, Epiphanio, Gregorio Nazianzeno.

I. *De Traditionibus.*

Basil. lib. de Spir. sancto, cap. 27.

DOgmata quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus; partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recipimus: quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent: & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.

II. *De ciborum delectu certis diebus.*

Epiphan. cont. Heres. 75.

Dicebat Aërius Hæreticus. Sed neque ieiunium erit ordinatum, hæc enim Iudaica sunt & sub iugo seruitutis, Iusto enim non est lex posita. Si vero omnino, inquit, volo ieiunare, qualemcunque eligam diem à meipso, & ieiunabo propter libertatem.

III. *De Sanctorum pro nobis oratione & auxilio.*

Greg. Nazianz. in orat. ad Greg. Nyssenum.

Diuinitatis consequendæ mediatores sunt nobis Martyres in cœlis, quos honoramus in terris.

Greg. Naz. in Monostichis.

γίνωσκε πάντα τῶν καλῶν τὰ δράματα.

id est.

Omnia fac tibi sint bene cognita gesta bonorum.

APPEN-

APPENDIX II. EX TRIBVS PATRIBVS LATINIS, AMBROSIO, Hieronymo, Augustino.

I. De Virginitate.

AGrestis est vlulatus nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere. Bonum coniugiũ, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ: sed melius virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, & cœlestiũ meritorum reperta successio. *Ambros. lib. 10. Epist. ep. 81.*

II. De Romana Ecclesia.

Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri cõmunione consocior, super illam Petram ædificatã Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. *Hieron. in Epist. ad Damasum Papam.*

III. De mortuorum suffragijs.

In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua est VNIVERSÆ ECCLESIÆ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. *August. lib. de cura pro mort. agen. c. 1.*

Greg. Naz. in Monostichis.

ϰρατεῖν χαλίνου, καὶ μέγας ἔσῃ σοφὸς

id est.

Magnus eris sapiens, si uinclis arcta libido est.

Huic Disputationi Martinus Eisengrein Collegij Theologici pro tempore Decanus subscripsit.